Quelle: https://manuscripta.at/?ID=933
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Abeo qd illic aqua stae nec decurrat. DE ABYSSO.

Byssus profunditas e aquarum inpenetrabilis siue speluncae siue aquarum latentium ex quibus fontes et flumina procedunt. Vel quae occulte subtrahunt unde et abyssus dicta. nam omnes aquae siue torrentes per occultas uenas ad matricem abbyssum reuertuntur. Fluctus dicti qd flatibus fiant. Ventorum enim inpulsu agitate aquae fluctuant. Aqua est statiua et sine motu aequalis. Vnda uero eminens liquor. qui semper in motu est. Lucretius aerias undas. i. motus et corpus illud qd refluctuat. nam nec unda per se aqua est. sed aliqua in motu quodam et agitatione quasi abeundo et redeundo unda uocata est. Latex proprie liquor fontis est. et dicta latex qd in uenis terrae lateat. Gutta est quae stat. stilla quae cadit. hinc stillicidium quasi stilla cadens. Stiria enim graecum est. i. gutta. inde fit diminutiuum. ut dicamus stilla. dum autem stat aut pendet de tectis uel arboribus quasi glutinosa gutta est. dum ceciderit stilla est. Spuma dicta est abeo qd spuatur. sordes enim sunt undarum. unde et mustum. et ea quae coquuntur spuma uel stilla purgantur. hinc et sputum. DE FLVMINIBVS.

Fluuius est perennis aquarum decursus afluendo per poenam dictus. Proprie autem flumen ipsa aqua. fluuius cuius aqua. Prior autem flumen quam fluuius. i. prior aqua quam decursus. Duo sunt autem fluminum genera. unum torrens altum uiuum. de quo uirgilius. Donec me flumine uiuo abluero. Torrens est aqua ueniens cum impetu. dictus autem torrens qui a pluuia crescit. siccitate torrescit. i. arescit. de quo pacubius flammeo uapore torrens torrae. cui graeci abime hieme nomen dederunt nos ab aestate. illi a tempore quo succrescit. nos a tempore quo siccatur. Amnis fluuius est nemore ac frondibus redimitus et ex ipsa amenitate amnis uocatur. De cursus proprie finis cursus siue aquarum sit siue quarumlibet rerum. Riui dicti qd diriuentur ad inrigandum. i. ad inducendum aquas in agris. nam inrigare inducere est. Surges proprie lacus altus in flumine. Puteus est lacus defossus. de quo hauritur aqua. a potatione dictus. Fons est caput aquae nascentis quasi aquas fundens. Quidam autem fluuiorum propriis ex causis nomen acceperunt. ex quibus non nulli notandi sunt. qui historiis celebres memorantur. Geon fluuius de paradiso exiens. atque uniuersa